UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Decretum Gratiani

Gratianus <de Clusio>

Parisijs, 1542

Jllustrissimo principi Beluacensium antistiti pariq[ue] Halliaru[m] dignissimo domino Larolo de villers, vndequaq[ue] virtutibus vallato, F. Jo. Thierry Lingonensis inter iurium professores infimus, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-62466

Visual Library

¶ Illuſtriſſimo principi Beluacenſium antiſtiti pariqꝫ Galliarũ digniſſimo domino Carolo de villers, vndequaqꝫ virtutibus vallato, F. Jo. Thierry Lingonenſis inter iurium profeſſores infimus, profeſſione minimitanus felicitatem.

Vbi tuas omni ſancto lepore miniatas vigilantiſſime preſul hilaro vultu et arrectis auribus Claromonte perlegimus literas: ⁊ ad cenobitas Pariſiacos repedaſſemus: noſtruqꝫ chartophylacium (vt non dignas, ſed quas valeremus rependeremus gratiolas) euoluiſſemus: obuie nobis ſeſe exhibuerũt quedam noſtre muſe morales ſeſquiannales quidem in Decreti ſanctiones, gemebũde tamen et eiulantes cur tandiu in noſtratium literarum gazophylacio ſitu ⁊ pedore cum arachneis flocco haberẽtur. Cum maioris dignitatis q̃ priſtine tam in ſpurcam Lutheranorum ſectam ponti. maxi. Adriano. vj. et Clemẽti. vij. dicate, q̃ in Albericũ Roſatẽſem ſanctiſſimo Frãcie legato, fidiſſimoqꝫ Chriſtianiſſimi regis archigrammateo do. Anto. a Prato oblate exiſtere dinoſcantur. Quibus cum mẽtaliter refricaſſemus virum ſm cor noſtrũ dignum dedicatione vſqꝫ adhuc non reperiſſe: enixis tunc efflagitarunt precibus vt illius nomenclationem exſinuaremus: qua exfibulata ſuopte genio adeo te exaltauere, vt illarum ad te volãtium habenas laxare coacti fuerimus. Nulli ſiquidem ſanctiori ⁊ digniori mea cẽſura offerri potuiſſent. Quicquid etenim illi ſales Demoſthenici, illa Socratis antitheta, Catonis grauitates, et Platonis diuinitates quondam exenterarunt, in te examuſſim dinoſcuntur. Tu coronatus choro illo virtutum preſulatus es pulcherrimo quem Chriſtiane veritatis philoſophus et doctor gentium Paulus in vero depoſcit preſule. Tu ſobrietate comptus, morum probitate ſpectabilis, quibuſcũqꝫ doctrine honeſtamentis phaleratus, nulla labe ſuperbie fedatus. Tu periodaliter irreprehenſibilis es ſane virtutis abſolutiſſime origo. Propterea ſm archetypũ ſanctioris vite tue plura actitabimus: erũtqꝫ iſtec opella noſtra nouiſſima plura prioribꝰ: ita ꝙ omnis plebs videns Aſre, id eſt laudationes, lingua ſancta eructabit. Vericqꝫ deicole in te Nazareum Jeſum (qui in omnibus prebebit teipſum teſte Paulo deiloquo typũ bonorum operum) clarificabunt. Nonne ſatius eſt lucernam igne micantem a candelabro ſuſtentari, q̃ ſub doliolo recondi: cum ſapientia abſcondita ⁊ theſaurus inuiſus nemini vnq̃ profuit? Ideo dabimus voci noſtre vocẽ virtutis: vti Jeſus inchoauit facere et docere. Nec arundo agitata noto tanq̃ vir duplex animo inconſtans in omnibus vijs ſuis comperiemur. Quod ſi ſubdola aurigãte Rhãnuſia ab emulis bonum noſtrum blaſphemetur, nuſq̃ confeſtim turbabitur in ira oculus noſter: ſed cum ijs qui oderunt pacem erimus pacifici. Quinimmo in medio nationis inique te duce bonus odor Chriſti deo erimus: etſi turbatio quedam emulatoria Minimitanum tuum vſqꝫ ad eas (vt noſti) caſulas laceſſita fuerit: quas etiã fide formata paratus ſum perenniter ſuſtinere. Vale in Jeſu clementiſſime comes, munuſculũqꝫ a tuo Minimitano Thierry nõ rhinocerata nare, ſtriata fronte: ſed beneuolo applauſu, maiora in poſterum a nobis circa complementum iuris deciſiuum preſtolaturꝰ ſuſcipito. Pariſijs, in cenobio Nygeoniano. Anno Verbi reſuſcitati. xxxj. ſupra quingenteſimum et milleſimum.